

E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii direttore

a. 1857 hereditate relictis.

J. q. 74.

3260
VINDICIARVM
ARBITRII DIVINI
IN
RELIGIONE CONSTITVENDA

PARS ALTERA

DISPV TATIO THEOLOGICA

IN ACADEMIA LIPSIENSI

A. D. XXI. OCTOBR. A. C. CIDI CCCLVI

PRO GRADV DOCTORIS

PROPOSITA

A

IO. AVGVSTO ERNESTI

S. THEOL. LICENTIATO ET FACVLTATIS

PHILOS. DECANO ETC.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

RECHTSGEWISSEN

LEIPZIG

VERLAG

LEIPZIG

PROF. DR. G. ADY DOCTORIS

LEIPZIG

LEIPZIG

LEIPZIG

LEIPZIG


LEIPZIG

LEIPZIG



VINDICIARVM
ARBITRII DIVINI
P A R S II.

*In omni generis humani statu veram religionem
arbitraria habuisse.*

31.  Superior disputatio, quae Deo arbitrium religionis asseruit, si verum velimus dicere, superuacua erat per eos, qui in rebus cognoscendis ac iudicandis legitima via et ratione vterentur: sed facta est necessaria per argutationes eorum, qui, relicta vera differendi et iudicandi via, totum rerum ordinem peruerterunt, et, de quo quaerere non attinebat, id in disputationem adduxerunt. Semper hac ratione vsi sunt, qui legitimos differendi modos tenerent, vt primum, quid esset, quaerent, et e suis signis iudicarent; deinde demum, si luberet, de causis viderent: quas si assequi non possent, non propterea rem ipsam tollerent, aut fieri posse negarent: foret enim ridiculum: sed vel obscuritatem rei, vel ingenii sui imbecillitatem agnoscerent. Hanc rationem si renuissent ii, contra quos a nobis disputatum est, otium nobis fecissent in hac causa agenda. Etenim quaesissent potius de diuinitate sacrorum librorum, eorumque interpretatione: vt

F 2

si pri-

si primum illa esset ita perspicuis signis manifesta, ut dubitari de ea iure non posset; haec autem clare doceret, in iis libris statui ac praecipui, quae naturalem necessitatem nullam haberent, intelligerent sua sponte arbitrium illud diuinum, nec dubitarent, quin id posset cum sapientia, et reliqua perfectione diuina, optime consistere: neque enim vlllo modo credi potest, Deum, quod secus sit, facturum fuisse. Sed cum et diuinitas librorum sacrorum ita perspicua esset, ita euidenter ab doctissimis viris demonstrata ac defensa, ut nihil probabiliter contra dici posset, et in iis ipsis nimis diserte ac perspicue arbitraria religionis decreta traderentur maluerunt viam rectam deserere, et arbitrium totum religionis in dubitationem adducendo atque impugnando, religionem Christianam vel totam ad naturalem redigere, vel omnino tollere, existimantes, quod ea ratio haberet speciem sapientiae, et subtilitatem aliquam, facilius se causam obtinere posse. Igitur nobis quoque via illa eundem putauimus, et prius asserto vniuerso diuino in religione arbitrio, ad illa ipsa progrediendum, quae non essent ab naturali et necessaria religione ducta, sed diuino arbitrio, sed cum summa sapientia et vtilitate generis humani, constituta.

32. Ac fortasse vel sic existimet aliquis, nos hac altera disputationis parte, quam proposuimus, plane superfedere potuisse: propterea, quod nemo, qui diuinitatem librorum sacrorum agnoscat, dubitare possit, aut dubitet, fuisse omni tempore in religione a Deo tradita et praecepta hominibus, quae essent a naturali religione diuersa, nec e necessaria Dei hominisque natura, rationis humanae vi intelligi possent. Id etsi ita esse libenter concedimus: tamen causas satis idoneas nobis videmur habuisse, propter quas hanc disputationis partem non praetermittendam putaremus. Nam primum, cum nobis statutum esset, locum hunc, de arbitrio diuino in religione constituenda, plene absoluteque tractare, ea pars vix videbatur praetermitti posse, praesertim cum, ea recte explicata et constituta, partis tertiae explicationem faciliorem fore videremus. Sed maxime
nos

nos mouebat hoc, quod videbamus, omni tempore fuisse, qui in illis ipsis rebus, quae arbitrio diuino constitutae essent in religione, et illa, quae fuit primorum hominum, cum integritatem primam retinerent, et ea, quae post fuit vsque ad Christi tempora, et Christiana adeo ipsa, argutarentur, et res clarissimas argutationibus suis obscurare ac peruertere conarentur. Cuius rei causa, vt mihi videtur, nulla alia fuit, quam quod homines illo ipso arbitrio diuino offenderentur, nec satis concoquere possent libertatem diuinam in istis rebus constituendis, mallentque rationis folius, quam Dei vocem audire. Nam alii fuerunt, qui talia instituta in allegorias conuerterent, vt ea, (ita putabant) molliora et rationi humanae aptiora esserent: alii, qui ea ad legem naturalem diuinamque reuocarent, vt Iudaei quondam, et nunc Sociniani, Arminiani, et permulti alii, qui se Christianos profitentur. Sunt etiam fortasse quaedam, in quibus explicandis etiam casti religionis diuinae interpretes non consentiant. Itaque videbamus, etiam hac parte explicanda, a nobis quaedam disputari et admoneri posse, quae non inutilia forent studiosis.

33. Iam, in prima vitae humanae institutione, quae a Mose duobus primis Geneseos capitibus traditur, duo sunt, in quibus arbitrium diuinum apparet: alterum, de quo inter recte sentientes Christianos ac Theologos nulla dubitatio est; alterum, quod aliquam dubitationem habere, dissensus doctorum arguit: *abstinentia ab fructu arboris religiosae, et per septimum quemque diem feriatio*. De vtroque breuiter videamus pro instituti nostri ratione. Ac primum obiter studiosorum causa monebimus, eam arborem, quae עץ חַיִּים מִן הַיַּרְדֵּן Mosi appellatur, a graecis interpretibus vno loco (II, 9.) graece dici ξύλον τῆ εἰδήσεως γινώσκον καλῶ καὶ πονηρῶ, pro quo est omnibus aliis locis ξ. τ. εἰ. καλὸν καὶ κακόν. Inde apparet, in γινώσκον καλῶ καὶ π. esse periphrasin, (quod genus est frequens apud Graecos, sed saepe parum peritis linguae molestum fuit) cum pleonasmō, vt in γινώσκον καλῶν nihil plus sit intelligendum, quam in καλόν. hinc adeo ductam esse Pauli illam formam orationis,

Rom. I, 19. διότι τὸ γνωστὸν τῷ Θεῷ φανερόν ἐστι ἐν αὐτοῖς: quo loco frustra, inciticia sermonis, argutati sunt interpretes, non Deum simpliciter agnoscentes, sed τὸ *cognoscibile Dei* exprimentes. In hac igitur arbore ita perspicuum est praecepti diuini (II, 16.) arbitrium, nihil habens coniuncti cum lege naturali, et necessitate naturae vel diuinae vel humanae, nec fanciens, quod per se iustum sit, sed, quod per se plane indifferens erat, efficiens, vt iustum et iure debitum esset, vt dubitationem nullam res habere possit. Acquiescendum igitur erat in illa perspicuitate narrantis rem tantam historici diuini. Sed, vt ante dixi, illud ἐθέλημα, illud arbitrium et voluntarium, quod est in illo praecepto, atque etiam, vt opinor, simplicitas rei offendit homines, nolentes, vt in tota vita, ita in rebus diuinis simplicitate acquiescere, cupientesque in rebus omnibus rationibus e natura rerum ductis vt, effecitque, vt id tollere cuperet ingenium humanum. Atque hic non digner commemorare ac refellere eorum insaniam, qui rem ad obscoenitatem traxere: quod non est *Beuerlandi* inuentum, sed multo antiquiorum nebulonum: primum exorti sunt, qui abstinentiam fructus illius sancitam contenderent, quod esset venenatus, et vitae hominis perniciosus, a qua sententia non est alienus *Clericus*: atque ita totam hoc praeceptum, liberae Dei voluntati ereptum, ad naturae necessitatem transferrent. In quo non viderunt; se statuere, quod esset iniurium in Deum, et hominem, imagine diuina praeditum, denique contrarium narrationi et verbis Mosis, qui, quod omnibus aliis arboribus communiter tribuerat, et earum fructus essent et ad aspectum pulcri, et ad esum suaues (II, 9,) idem tribuit huic arbori, et in illo ipso loco: וַיִּתֵּן לָהּ אֶת־פְּרִי־הָאֵרֶבֶת in *his arborem vitalem*: sic enim τὸ ἢ accipiendum: et alibi (III, 6). Nam in ista pulcritudine et suavitate fructuum inesse significationem salubritatis, et excellentis fructus, et res indicat, et vsus bene graece loquentium. *Diodorus* quidem *Siculus* II. p. 136. ed. *Rhod.* palmas laudans Arabiae, et ceteris omnibus praefereus, eius dactylos esse, ait, eiusmodi, vt

ἢπ'

ὅτι αὐτῶν ἄμα καὶ τὴν ὄψιν τέρεσθαι, καὶ τὴν γεῦσιν ψυχαγωγεῖσθαι, una et oculi delectentur, et gustus deliniatur: quem locum cum Mosaico conferre non neglexit *Wesselingius* V. C. Iudaei autem veteres, historiam Mosaicam etiam allegoriis conferre conantes ad vsum piorum, commiserunt, vt quidam totam rem, sublata historica veritate, in allegoriam conuerterent. *Philo* quidem, (*de Opific. mundi* p. 35.) dixerat, arborem illam esse symbolum prudentiae, ἀνίττεσθαι Φρόνησιν τὴν μέσην, διακρίναςαν τὰναντία Φύσει, prudentiam quandam mediam, quae res contrarias distinguat, atque discernat. Hunc secuti sunt Christiani, auctore inprimis *Origene*: non, vt historiam tollerent, sed, vt allegoriam adderent. *Ambrosius* quidem, quem, *Hieronimus* (*Ep. 65.*) docet, compilasse *Origenem* in *Hexaëmero*, haud dubie eundem compilauit in libro de *Paradiso*. Enimvero, qui vtrumque librum cum *Philone* contulerit, reperiet statim, eum in summa operis cum *Philone* consentire: additis tamen quibusdam, velut interdum de *Symmachi* et *Aquila* lectionibus, vt de *Parad. c. 5.* quae sunt fortasse et ipsa ex *Origene* sumpta. Sed ille saluam relinquit historiam, et negat, aliquid reprehendi debere, quia rationem non intelligamus, (*c. 2.*) sed eo praecepto neglecto, longius progressi alii, totam rem in allegoriae figuram conuerterunt, vt diximus, et ita legem Dei voluntariam sustulerunt. In quo illi decepti sunt imitatione gentilium, qui illis temporibus, cum sustinere non possent Christianos, demonstrantes dementiam religionis gentilis, ad allegorias confugerant, et totam Theologiam suam in physica decreta et moralia praecepta conuerterant. At hi tamen habebant aliquid, quo suae rationi speciem aliquam veritatis conciliarent, cum dicerent, poetarum hoc esse, vt res quasque figuris et fictionibus ad delectationem aptis inuoluerent. Cuiusmodi nihil habebant Christiani, quo allegorias suas tuerentur. Quis enim non intelligit, quam sit alienum a sensu communi, eum, qui historici munus sustineat, res narrandas per figuras tradere, et poeticis fabulis abscurate. Est igitur certum ac nullo modo

modo dubitandum, abstinentiam ab arboris fructu sancitam esse a Deo, in eaque legem esse Dei voluntariam, quae nullam habeat cum natura diuina humanaeque necessariam coniunctionem.

34. Sed in iis, qui legis illius arbitrium agnoscunt, non pauci dubitant *de Sabbati lege*, an ea in principio rerum humanarum sancita fuerit, nec ne. Nobis quidem minime dubium est, quin haec altera lex voluntaria primo homini fuerit imposita. Cuius sententiae nobis ratio reddenda est. Maxime autem moueot, non *προλήψεως* duritie, quae offendeat *Lud. Capellum* Disp. de *Sabb. lud. I. §. 30.* (*Thef. Salm. T. III. p. 578.*) et altera in *Opp. p. 264.* et alios, me nequaquam, qui nihil in ea duris sentio: sed verbo Mosis, non hoc, quod *F. Spanhemius* (*H. E. p. 275. a.*) aliiue vrgent, admonitu interpretis graeci, qui את-יום השבת *vertit τῆ ἡμέρα ταύτη*: in quibus nihil emphaseos, aptae ad vincendum id, quod quaeritur, video; sed τῶν ריבך, quod qui integer, et nullo dum occupatus opinionis praecudicio, legit, non potest aliter accipere, quam *tum consecrauit*: cum in totius superioris capitis narratione hebraica copula ita constanter hanc, vim obtineat, vt credibile sit, Mosen, si dicere voluisset id, quod *B. Lutherus* expressit, intelliguntque, qui eius sententiam sequuntur, consulturum lectori, et, exclusa ambiguitate, dicturum fuisse, כן-עו *propterea*, vt dixit *II, 24. **) item de hac ipsa re *Exod. XX, 11.* Atque hoc potius argumento, quam legis suae extollendae causa, veterimos Iudaeos idem existimasse censeo, vt e *Philone* (*Opif. M. p. 20.* et aliis locis) et *Iosepho* (*Anr. I, 1, 1.*) patet: quorum auctoritas in tali re non contemnenda videtur. Nam recentiores

*) Obiter notanda videtur Clerici ad illum locum inscitia. LXX. verbum ברא verterunt ἡρεστο ποιησαι. Hic iure castigat *L. Capellum*, qui graecos interpretes alid habuisse in codice suo putabat, inscitia verborum graecorum: ipse castigator pari inscitia, non legisse eos in hebraico exemplo, ait, quod esset ἡρεστο ποιησαι, sed verbum hebraicum ita intellexisse. Immo ἡρεστο ποιησαι est nihil aliud quam ἐπόνοσα, et illud ἡρεστο centies sic redundat, vt apud Latinos *coepit*. Ita paruae obseruationis ignoratio tenebras doctissimis viris offundit.

res Iudaeos, eiusdem sententiae auctores, facile concesserim, parum auctoritatis habere. Atque etiam inde patet, sabbatum non primum lege Mosaiica institutum fuisse, quod eius celebrati et seruati mentio fit ante legis Mosaiicae promulgationem *Exod. XVI.* nec credibile est, Mosen primam eius originem tradere noluisse. Atque hic disputant Theologi eruditissimi, haec lex vtrum prorsus arbitraria sit, et positiua, vt in scholis loquuntur, quod late defendit *Spencerus*, in eruditissimo de *Legg. Hebr.* sed in summa rei a veritate alienissimo opere (*I, 5.*) an e natura rerum ducta, an denique ex vtroque genere mixta: quae est maxime probabilis sententia. Sed habet tamen et haec sententia quasdam cautiones: de quibus paucis dicemus.

35. In ipso rerum principio, hominibus adhuc integritatem retinentibus, vita eorum profecto tota erat sabbatum: cum terra benefica ipsis sua sponte suppeditaret omnia, nec expectaret, dum eorum labore ad largiendum victum vel sollicitaretur, vel cogeretur. Itaque nihil agere homo magnopere poterat, quam opera diuina contemplari, cum admiratione potentiae, sapientiae, et benignitatis diuinae, et Deum laudibus efferre: fuitque illa vita imago coelestis vitae, quae et ipsa perpetuum sabbatum est habitura. Vnde fit, vt tum quidem in lege de sabbato nihil fuerit, nisi arbitrium Dei, volentis homines hac die vel maxime colere creati mundi memoriam, et sui in se dominii et creatione meminisse: in quo plane et ad verbum locum habebat illud *Ezechielis (XX, 20.) Conseruate Sabbata mea, quae sunt signa inter nos, לרעת, vt intelligatur, me esse Iouam Dominum vestrum.* Sed quod ab initio fuerat mere voluntarium, id mox accepit aliquam e natura hominis conuenientiam, et prope necessitatem, aucto genere humano, et per Adami atque Euae culpam aditu corruptelae vitiorum in genus humanum dato: quae prospiciens Deus tanto magis de sabbato cauendum putauit, ne tanto celerius memoria dominii sui aboleretur, et ad impietatem homines prolaberentur: quod vel sic plus fati cito factum esse constat. Iam etsi, religione Christiana

G

consti-

constituta, videri potest sabbatum perpetuum inductum esse, debentque adeo veri Christiani semper animis σαββατισμῶν, etiam inter medios labores honestos, quod est vnum verissimum, et Deo gratissimum, et coelesti illi simillimum sabbati agendi genus: tamen, quia et conueniens est pietati, etiam publice coli Deum laudibus, et memoriam beneficiorum eius celebranda, et deprecationibus placari, et nullo modo sperari potest, scientiam rerum diuinarum conseruatuos homines, nisi, conuentibus publicis habendis, vel eorum, quae didicissent puerili institutione, admoneantur, vel plura doceantur, propterea, quamquam abolitus institutus veteribus voluntariis omnibus, tamen diem constituerunt Apostoli, vt credere fas est, *1 Cor. XVI, 2.* qui sanctus esset Christianis, et creati a Deo, et recreati, per Christi mortem et ἀναβίωσιν, mundi, h. e. omnium beneficiorum diuinorum memoriae laudibus celebrandae. Quae solent a Theologis hunc locum tractantibus latius disputari: a multis tamen, quod non probem, ita, vt necessitatem naturalem intelligi velint, et fontem moralis rationis in die Dominica repetant ab ipsa rerum natura necessaria. Quanto melius erat, manere in eo, quod nos credere, ac defensuros iurauimus: *Aug. Conf. art. ult. p. 68.* qui putant pro Sabbato institutam esse diei Dominici obseruationem, tanquam necessariam, longe errant. *Scriptura abrogauit sabbatum - et tamen, quia opus erat, constituere certum diem, vt sciret populus, quando conueniret, apparet, Ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum etc.* quod pariter planiusque docet *B. Lutherus in Catech. Mai. ad Praec. III.* vbi et reliqua, et illud, *quia opus erat*, bene explicat. In quo ii, quibus ab hac professione desciscere placuit, mirabiliter faciunt, cum dicunt, esse δυσνόητον: cum nihil planius ac magis perspicuum dici possit: et si in tanta perspicuitate per δυσνόητε praetextum licet plane contrarium statuere, atque etiam pro ὀρθοδοξία venditare, quidlibet licebit facere e quolibet: nec quisquam dubitabit in libros symbolicos iurare, quamuis in multis diuersa ab iis sentiens, cum remedium tam lene in promptu sit, vt

vt ea ad *δυσνόητα* referat. Sed non est huius disputationis, hunc locum absolute tractare, et est ille ab aliis in hanc partem explicatus, vt *Io. Fechtio* in *Exerc. de Sabbato* inter *Schediasm. SS. p. 553. sqq.*

36. *A corrupti generis humani tempore*, cum Deus, consultum iturus miseris hominibus, spem salutis proposuisset per eum, quem tum *semen mulieris*, post *Abrabae*, denique *Dauidis* appellauit, (in quo attentus Christianus vestigia sapientiae diuinae facile agnoscat) *lex salutis* consequenda fuit *fides*, huic *promissioni diuinae tributā*, et *spes nixa in illo ipso*, per quem *salus esset futura*. In quo nemo erit, quin liberam Dei benignitatem agnoscat. Nam profecto illi ipsi, qui hanc *fidei legem*, vt *Paullus* appellat, ereptum eunt Veteri Testamento, nulla alia re magis mouentur, quam quod id ad legis necessitatem redigere cupiunt, nec arbitrio diuino volunt credere. Sed nihil vetat, illam ipsam fidem V. T. quamquam ab aliis dudum factum scimus, nostro modo vindicare, cum id summa disputationis nostrae requirat. Atque Apostolos quidem existimasse, Sanctos in V. T. homines per fidem Deo placuisse, et salutem reperisse, dubitare non sinunt ea, quae *Paullus* de Abrahamo *Rom. IV.* et *Gal. III, 8.* disputat, et *Hebr. XI.* Quo in loco etsi quaedam exempla sunt eiusmodi, vt non proprie ad fidem iustificantem pertinere videantur, sed ad fidem cuiunque vel dicto vel promissioni diuinae tributam: quod etiam patiebatur definitio fidei, in principio proposita, quae est ita generalis: vt cuiunque fidei conueniat: tamen finis disputationis, pertinens ad iustificantem fidem (X. extr.) arguit, hanc alteram fidem gratam Deo iudicari ex eo, quod ab illa esset profecta: existit que argumentatio haec, vt, si omnis fides Deo grata fuerit, et naeta sit praemia, multo magis ea gratos Deo reddat homines, quae ad nobilissimam eius promissionem pertineat, de vita aeterna propter Christum speranda: quo genere argumentandi in contrario vitur *Paullus* in eadem epistola *II, 2.* In Vetere autem Testamento, cum adhuc incorrupta esset summa doctrinae diuinae, idem cre-

didisse Ecclesiam Iudaicam, cum alia arguunt, tum vel illud argumentum est, quod Iudaici scriptores longe magnificentius de fide loquuntur, quam de vlla alia virtute, eamque reginam faciunt omnium virtutum, et summum religionis caput, veluti *Philo de Abrahamo p. 387.* et aliis locis, quae, cum aliis Iosephi et Doctorum Iudaicorum, collegit *Grotius ad Hebr. XI, 1* et *Rom. IV, 3.* Cuius rei ratio nulla idonea reddi potest, nisi eas reliquias statuamus veteris et incorruptae sententiae, quam non plane sublatam fuisse ex Ecclesia Iudaica, docent exempla piorum, qui Christi tempore fuerunt. Natura homines proclives sunt, vt ante dictum est, in hanc partem, vt res religionis ad rationem et ad legis necessitatem reuocare conentur, atque eam ob causam etiam fidem sub legem redigere ausi, ex ea virtutem moralem effecerunt. Quod tanto minus est mirandum in Iudaeis, quibus minus clara lux, quam nobis affulserat (2. Petr. I. 19.) cum etiam inter Christianos, in tanta sacrarum litterarum N. T. luce, extiterint permulti, vt Pelagiani olim, recentioribus temporibus Sociniani, Arminiani, arque etiam alij, qui eodem modo offenderent: in his etiam, qui contra *Tindalium*, et religionis essentialis Auctorem scripsere. Praecipua, vt mihi quidem videtur, causa erroris fuit haec, quod scriptores veteris Testamenti, quia tum erat *διανομία τῆ νόμος*, referre solent summam vitae piae ad legis obseruationem, nec ita diserte fidem in Messiam commemorant, sed fere effectus eius ponunt, et fructus certos ac necessarios, pro causa, quod e disciplina religionis vniuersa constaret, cum virtutum, et praeceptorum diuinorum vel seruandorum vel seruatorum mentio fieret, in eo fidem de salute per Messiam speranda sua sponte intelligi. Cuius generis exempla plurima etiam in N. T. libris occurrunt, vt in loco insigni Gal. VI, 15. coll. V, 6. Nam etiam Christus ipse interrogantibus, quid agendo felicitatis coelestis spem certam haberent, legem seruare iussit, intelligens id, sine quo lex seruari non potest, h. e. fidem. Ita saltem intelligendus est locus de miserando iuvene illo *Matth. XIX, 16. sq.* (neque enim placet ironia,

ironia, quae et hic et alio loco inesse in Christi verbis vulgo putatur) qui cum se responderet legem seruasse a puero (sicut Iobus, nullius sibi se culpae inde a pueris conscium, dixerat) in eo ipso fidem supponit, quia vere respondet. Neque enim mihi persuadere possum, in interrogatione hominis: *τί ποιήσω, quid faciendum mihi est*, necessario inesse superbam opinionem salutis per legem consequendae, cum et ipse ad genua Christi prouolutus *Marc. X, 17.* modestum animum ostendat, et similiter interroget magister carceris *Act. XVI, 30.* et vtatur verbo *ἰληρονομήειν*, in quo, dicunt vulgo, esse gratuiti beneficii significationem: aut in responso iactationem inanem, cuius vulgo accusatur, cum Christus eum amasse eius rei causa dicatur *Marc. X, 21.* in quo misere se torquent interpretes, tenaces vulgaris, de superbia inani hominis, opinionis, cum longe aliud sit, in quo miser ille peccarit; de quo alius erit commodior disputandi locus. Non inutiliter hic, h. e. de fide in V. T. comparabuntur bene disputata a *L. Capello* in egregia Diatribe *de praeerogatiuis Eccles. Christ. supra Iudaicam §. 3. 4. in Opp. Capellorum p. 216. sqq.*

37. Enimuero fidem illam, cui spes certa salutis est proposita, per se nullam habere coniunctionem cum natura rerum, et lege diuina, quo eam trahi a nonnullis dixi, sed meri arbitrii diuini decreto, sapientiae illo et benignitatis, vt tertia parte docuimus, plenissimo, factam esse legem modumque salutis consequendae, id quidem etsi prope sua sponte intelligitur, tamen non vno argumento intelligi potest: quae ponemus breuiter, vt ea facilius intelligantur, quae tertia parte disputabuntur: eaque etiam aliis locis profectura studiosis speramus. Ac primum, si etiam legis moralis quamuis perfecta et omnibus numeris absoluta conseruatio, qualis esse poterat in homine ab omni vitio integro, tamen ad felicitatem coelestem aditum dedit non sua natura, ac naturali aliqua necessitate, sed arbitrio diuino propter eas causas, quas parte superiori exposuimus: clarum est, id multo magis esse dicendum de fide, quae in illius locum successit, propterea, quod omnia ea argumenta, quibus illud vicimus,

multo magis cadunt in fidem: nec quicquam in ea, quoad est in mente animoque hominis, intelligi potest, quod possit hanc vim habere per se et suapte natura, ut ei Deus tantam illam felicitatem debeat concedere, aut quod habeat naturalem aliquam ac necessariam cum ea copulationem. Res igitur sic habet. Deus cum vellet expromere et in conspectum intelligentium naturarum proferre vim suam, et sapientiam, et vero maxime benignitatem, iis destinavit vitam beatissimam, cuius initia quaedam essent in his terris, perfectio et consummatio in coelo. Id erat benignitatis merae ac liberae, ut omnes intelligunt. Quae enim vis ac necessitas eum poterat ad eam rem adigere? Sed eosdem volebat esse sanctos, a vitiis puros, et omnibus virtutibus ornatos: non, ut propter sanctitatem ad eam felicitatem venirent, illaque esset huius efficiens: quomodo enim? sed quod non deceret Deum, sanctitatemque eius summam, non sanctis atque improbis dare velut praemium impietatis. Homo igitur peccando, quantum in ipso fuit, irrita reddidit benignitatis divinae destinata: non, quo benignitatem divinam sustulerit, quae mutari ac diminui non potest, sed quod sanctitatem divinam aduersariam sibi fecit. Ecce Deus rationem inuenit, qua benignitatem et sanctitatem suam velut in concordiam redigeret, expiandis per Christum peccatis humanis omnibus, atque ita reddidit hominibus salutis spem. Sed quando ei ius est, modum accipiendorum beneficiorum statuere, ut supra vicimus, placuit ei modum statuere hunc, ut fides in Christum esset in iis, qui ad eam salutem adspirarent. Ea quamquam est effectrix verae sanctitatis, idque in statuendo modo illo aliqua ex parte spectavit Deus pro sanctitate sua: tamen non ob hanc vim eum Deus voluit esse modum consequendae salutis, ut clare patet e multis Christi dictis, et diserta Paulli in epistola ad Romanos disputatione, idque ipsum sapientissimis et benignitatis in homines plenissimis de causis, sed per se: idque diligenter et arte tenendum, nisi totam rationem Christianae religionis (*ὁμολογίαν* Paullus appellat) conturbare velimus; quod faciunt hi, qui fidem ita definiunt, ut
 non

non totam ad benignitatis diuinae arbitrium, sed vel maxime ad sanctitatis rationem referant: vnde et in doctrina ipsa incommoda atque errores, et in animis hominum dubitationes et sollicitudines oriuntur. Nam, qui summam fidei esse dicunt in eo, *vt statuamus firmiter, fieri non posse, vt aliter quam per I. C. et alia quam per ipsum praescripta ratione* (ita scilicet interpretari videntur per I. C.) *aeternam mortem euadamus, et contra vitam aeternam consequamur* (*Remonstrantes in Confess. c. XI. §. 2. p. 35.*) vnde volunt existere obedientiam Christo debitam: hi profecto rem omnem in salute consequenda, atque ipsam adeo fidem, reuocant ad sanctitatem, et ad noua argumenta sanctitatis persequendae, quae a Christi auctoritate et praeceptis ducantur; in quo iis prolusit *Socinus* cum gregalibus. Etenim fides si est ipsa illa ratio, quam Christus e libero Dei decreto praescripsit, consequendae salutis: quomodo ea demum potest statuere, salutem esse petendam ea ratione, quam Christus ostenderit? Quae enim est illa ratio? Certe a fide diuersa: quia fides modo statuit, eam sequendam esse. Hanc igitur si volent dicere nominatim, et non abdere se in vagis et generalibus formulis, neesse habebunt confiteri, eam se ponere in sanctitate, quod tamen ipsi a se amoliri conantur (in *Apol. c. Censuram Theol. Leid. p. 110. b.* et alibi) Quodsi ista fides est, cum statuimus, salutem esse quaerendam, praescripta diuinitus via: etiam Adamo per fidem salutem petendam fuisse dicemus, etiam per fidem peteretur salus, si Deus solam legis naturalis obseruationem requireret. Quae quam sint aliena, omnes vident. Atque etiam, si fidei notionem fecerimus hanc, vt eam non nisi haecenus, quoad virtutis magistra est atque opifex, salutem dare dicamus, efficietur, vt salus non sit a fide sola, et per se, (cui tamen hoc diserte attribuit Paulus) quoad est scilicet via salutis per Christum reparatae, a Deo nobis praescripta, sed a certo quodam eius gradu ac robore, quod sufficiat ad subigendas cupiditates, vt volunt, et seruandam legem diuinam: ex quo non modo consequetur, vt non liceat *incipientes ac proficientes* (p. 37.) statuere, nec *fidem imbecillam*

becillam et firmam ac robustam, cum sacris literis, sed, vt magna etiam sollicitudo iniiciatur animis, an ad illam *firmitatem statuen- di* peruenerint: cum Deus vel maxime hoc spectarit in fide, vt omnibus angoribus liberaret, ac plane tranquillaret animos hominum salutis cupidorum, omnia ad Christum et in eius morte *ἀνταρραβω* referendo. Sed haec pro vsu partis tertiae satis disputata sunt.

38. Primis statim a corrupto genere humano temporibus *Sacrificia* commemorantur, *Gen. IV, 3.* In iis esse nullam naturalem rationem Dei colendi, in eo consentiunt omnes, praeter quosdam veteris Ecclesiae, itemque Romanae doctores, qui sacrificia legis naturalis esse contendunt, propterea, vt Missae sacrificio praesidium parent, velut *Bellarminus de Sacr. II, 31.* adstipulante *Socino Prael. Theol. c. 22.* sed alia de causa, h. e. vt illa sacrificia nihil pertinuisse vincat ad Messiae sacrificium expiatorium: vtrum a Deo hominibus diserte praescripta fuerit ista sui honorandi ratio, an humano ingenio pie reperta, et a Deo probata, in eo controuersiae esse aliquid potest. Et *Bellarmini* quidem *Socini*que opinio saepe refutata est a doctissimis Theologis, qui in Romanae Ecclesiae *Socini*que erroribus profligandis elaborarunt, e nostris a *Scherzaro Calouio*que, etiam a *Buddeo* copiose in *H. E. V. T. T. I. p. 143.* et *Theol. Dogm. I, 1, 23.* quos audeant, qui hanc disputationem cognoscere cupiant. Quamquam vix est opus accurata eius opinionis refutatione, cuius vanitas in ipsos oculos incurrat. Religio, quam naturae lex necessaria sancit, tota est in animi pietate, nihil coniuncti habet cum corporeis externisque rebus, in quibus nulla naturalis ac necessaria vis inest ad Deum colendum, sed, si quam habent cum pietate coniunctionem, eam naetae sunt arbitrio vel diuino vel humano, nec ea intelligitur per se, quod esse debet in naturalibus religionis partibus, sed interpretatione. Quod autem ad alteram quaestionem attinet, fatemur, saepe nobis idem visum, rem diligenter considerantibus, quod *I. Henr. Hottingerus V. C.* in *Exercitt.*

*Exercit. de Origine sacrif. Patriarch. I, 4.**) iudicabat, nondum eam ad liquidum perductam, et satis idoneis argumentis firmatam sententiam alteram, quae ad arbitrium diuinum refert sacrificiorum vltima initia, neque illius ipsius *Hottingeri* conatus nobis satisfecisse. Etenim primum, ipsa disputationis ratio non satis subtilis et accurata est in eo, quod ad vniuersum sacrificiorum genus refertur, et, quae de vna parte valent, ea transfert ad genus totum. Noachum quidem et Abrahamum iustos esse a Deo victimas caedere, totamque sacrificiorum disciplinam Mosâicam diuinitus institutam fuisse, de eo nulla dubitatio potest esse iis, qui litterarum sacrarum diuinitatem agnoscunt: sed ex eo non necessario sequitur, prima sacrificia Adami et filiorum eius iussu diuino facta esse: nec euidens absurditas est, si quis dicat, Deum sacrificandi morem, ab Adamo pietatis et fidei testandae et proferendae causa pie institutum, probasse, et auctoritate sua corroborasse, et ad vsum latiore contulisse. Verissimum profecto est, hominibus piis et prudentibus nullo modo in mentem venire potuisse, vt crederent, per victimas expiari posse peccata, Deumque sibi iratum placari: quod ne *Spencerus* quidem ausus est affirmare: vnde ei argumento inprimis confidit *Hottingerus*: sed id de vna parte sacrificiorum, expiatoria, valet, parum subtiliter transfertur ad genus totum, aut ad prima illa, de quibus traditur, sacrificia; quae non *ἱλασμοῦ*, sed *εὐχαρισμῶ* fuerunt, nec ad expianda peccata, sed gratum animum testandum comparata: quippe in Cainis sacrificio, nullus sanguis, nulla *αἵματενχρυσία* fuit, sine qua nullum peccatum expiatur, *Ebr. IX, 22*. Abelis autem sacrificium e primogenitis pecorum foetibus fuit: quod genus eucharisticum esse, satis constat.

39. Iam quod ad ipsa argumenta attinet, quibus vinci posse existimant, homines instituisse primum sacrificare iussu diuino, ea non sunt eiusmodi, vt apud subtiliter eorum pondera aestimantem multum valere possint. In quibus maxime solenne est

H

hoc

*) Primum editae sunt *Marpurgi* 1706. curis posterioribus emendatae et auctae prodire in *Museo Helu. T. I. P. II, et III.*

hoc, quod in sacrificiis, humano ingenio inuentis, ἑλεοθησικία, hoc est, vt vulgo illud vocabulum interpretantur, quamquam inuita linguae graecae ratione, commentitiam religionem, esse aiunt, quam, Adamus ignorare non potuerit, Deo minime probari. In quo mihi videntur viri docti religionem commentitiam confundere cum institutis et cerimoniis ad exercendam atque in lucem proferendam fidem et pietatem aduersus Deum: in quibus si est ἑλεοθησικία, omnes etiam nostrae Ecclesiae ritus, non diuinitus institutos, ad ἑλεοθησικίαν referre et abrogare necesse habebimus; quos tamen recte contendimus seruari, et vtilis esse, si ii non per se probentur et fulcipiantur, sed, quod habeant vtilē admonitionem, et quandam fidei pietatisque exercitationem, vt praeclare docet *August. Confess. art. XX.* ἑλεοθησικία est in omnibus ritibus externis, fuitque etiam in sacrificiis Iudaicis, quamuis a Deo institutis, si per se crederentur Deo placere, sine fide et pietate, eaque tum Deus, vt a se non praecepta, repudiat, *Pf. Lj. 9-14.* non autem in institutis piorum hominum, apte excogitatis ad proferendam exercendamque pietatem: in quibus inest quaedam disciplina religionis, non ipsa religio. Sane melius est, hanc quoque disciplinam externam a Deo constitui, vt prima Parte ostendimus: sed Ecclesiae prudentiae etiam in ea aliquid iuris et libertatis concessum esse, verissime defendit eadem illa *Augustana Confessio.* Quodsi Deus non ipse Sabbati cerimoniam instituisset, sed Adamus sua sponte eundem diem memoriae creati et perfecti a Deo mundi, precibus et hymnis celebrandae, consecrasset, an in eo commentitiam religionem, non potius institutum pium et vtile pietati alendae et exercendae fuisse diceremus? At sacrificia, aiunt, nil habent in se, quod Deo placeat. Nemo dubitat. Quid amplius? Ergo hominibus piis et sapientibus non potuit de iis venire in mentem. Hoc quidem nimium est. Nam pari ratione liceret colligere, Deo sapientissimo de iis in mentem venire non potuisse. Sane non potuit hominibus piis et prudentibus in mentem venire, in sacrificiis esse gratum Deo cultum per se: id
nec

nec Deo venit in mentem: sed potuerunt credere, hunc esse aptum modum externo aliquo signo testandae atque adeo exercendae fidei et pietatis, quod fuit ipsius Dei consilium. Quo loco miror *Hottingerum* usum esse loco *Davidis* e *Pf. L.* ut ostenderet, in sacrificiis humanis nihil esse, quod Deo placere possit, cum ibi sermo sit de sacrificiis ab ipso Deo institutis. At *Abelis* sacrificium Deo placuit propter fidem *Ebr. XI.* (v. *Hottingerus* §. 15.) Sane. Nam nihil omnium, quae religionis causa vel de praecepto diuino, vel de instituto Ecclesiae, facimus, Deo aliter placet. Sed si inde sequitur, sacrificium *Abelis* de Dei praecepto factum esse, pari ratione sequatur necesse est, *Cainis* sacrificium, quod Deo displicuit, non de praecepto diuino factum. Quod si hoc non est consequens: cogitur, ut ne illud quidem. Quid autem? animalium in pura et impura distributio (*Gen. VII. 2.*) non ad sacrificia pertinet, et diuini ea instituti iam tum fuisse arguit? Hoc quidem speciosius est. Sed tamen nihil est admodum, quod respondeamus iis, qui id discrimen vel ad rationem cibi humani pertinere dicant, cum ipsae literae sacrae eo quoque referant (*Luc. XI. Act. X.*) vel ab hominibus, in sacrificandi more, constitutum esse: cum dubitari non possit, quin homines nulla alia animalia in victimarum numero habuerint, quam quibus ipsi vescerentur. Plurimum tribuerim rationi eorum, qui dicunt, intelligi vix posse, quomodo *Adamus* in id consilium inciderit, ut sacrificia institueret, iisque fidem pietatemque exerceret. Sed tamen et illud fatendum arbitror, nullam in eo repugnantiam intelligi posse, et vix pro certo dici posse, quid hominibus in tali re in mentem venire possit nec ne: cum sint in moribus et institutis humanis multa alia, quae quomodo hominibus in mentem venerint, intelligi et demonstrari vix possit.

40. Placet igitur, originem primam sacrificiorum esse humanam? Sane non video, quid habeat aut absurdi, aut ad religionem incommodi, si dicamus, *Adamum* sua sponte instituisse sacrificia, non omnia, sed eucharistica, et eam rationem Dei deinde iussu ad alias partes religionis translata, et nouis generibus

bus, inprimis expiatorio, auctam esse: sed tamen malim vniuersum genus a Dei praecepto et instituto deriuari. Primum, quia Deus de die ipse constituit, quam vacare a negotiis curisque vitae humanae, et sacram ac solemnem cultui sui vellet, cum tale quid hominibus piis ipsis venire in mentem, perspecta aequitate et vtilitate, et vero etiam necessitate rei (§. 34.) posset: valde credibile est, eum etiam de modo sui publice colendi: nominatim per sacrificia, sanxisse: praesertim cum videamus, postea, Sabbatis Iudaeorum, festisque diebus: maxime solemnem ceremoniam fuisse in sacrificiis. In quo porro Deus consulere homini potuit, vt certus esset, eam rationem Deo probari, seque sacrificiis, si fides et pietas non desit, gratum ei facturum: in quo magnam partem animi tranquilli esse supra ostendimus. (§. 3.) Atque etiam Adamus, cum tristi experientia didicisset, quam periculosum esset, in rebus ad Deum pertinentibus, iudicium suum potius, quam ipsius Dei sequi, vix videtur in religione aliquid sua sponte instituere ausus esse, sed omnia ad voluntatem et praeceptum diuinum retulisse: quod ei licebat tanto maiori cum fiducia facere, atque expectare, dum Deus aliquid praeciperet, cum sibi alia iam a Deo praescripta et tradita sciret.

41. Praeter Sabbatum et sacrificia nihil est, quod ante diluuium Noachicum a Deo religionis causa constitutum sciamus. Sed Noacho lex data est *de abstinentia sanguinis*, Gen. IX. 4. quam non esse iuris naturalis ac necessarii, sed voluntarii, quiuis intelligit. Ea lex quamquam ciuilius potius est, quam sacra, ciuiliusque magis securitatis, quam religionis causa sancita est: tamen haecenus referri ad religionem posse videatur, quod, quicquid Deus praecipit ac vetat, in eo vel faciendo vel vitando religio est. Atque a Iudaeis quidem omni tempore, vt ceteras de ciborum discrimine leges: ad religionem relatae, et super ea ab Apostolis, hanc ipsam ob causam, decretum factum esse, (Act. XV.) satis constat. Sed quoniam tamen proprie non pertinet ad religionem, et Dei colendi modum, nec in ea aliquid est aut obscuritatis aut difficultatis, plura de ea dicere nihil attinet.

42. Se-

42. Sequuntur *duo* V. T. *Sacramenta*, *Circumcisio* Abrahamo sic praecepta, vt ad omnem eius posteritatem propagaretur, et *Agni Paschalis* epulum, per Mosen a Deo, sub exitum Israe-
 litarum ex Aegypto, institutum, hac lege, vt ea cerimonia ef-
 fet perpetua et anniuersaria. In vtroque esse partem religionis
 magnae, nec sine salutis dispendio negligendae, sed a parte Dei
 voluntariae, de eo neminem arbitror dubitare: neque est, quod
 hanc in partem disputemus: et dicitur aliquid infra, §. 55. sed
 ne hunc de Sacramentis V. T. locum sine aliqua vtili studiosis
 obseruatione dimittamus, age, per hanc occasionem videamus,
 an aliquid lucis afferre possimus loco in Theologia non ignobili,
 et disputationibus ac diffensionibus Theologorum nostrorum
 agitato, *de re coelesti* (*materiam* vulgo vocant non male, e ve-
 tere et Ecclesiastica latinitate) *Sacramentorum V. T.* Ienenses
 quidem Theologos, video, non agnoscere in V. T. rem coe-
 lestem, vt *Himmelum*, *Gerhardum*, *Musacum*, *Baierum*: quam
 opinionem, non video, quomodo fatis conciliare possim cum ve-
 ra Sacramenti notione, in qua requiritur profecto aliqua coniun-
 ctio rei visibilis cum beneficiis coelestibus et cum religione, nec
 sine ea Sacramentum, quod proprie dicimus in arte ac schola,
 intelligi, vt opinor, potest. Sed viros doctissimos in dubitatio-
 nem adduxit non satis intellecta Sacramentorum V. T. natura,
 quoad ea vim habet ad hanc quaestionem illustrandam, et ab iis,
 qui contra eos disputarent, non satis explicata. Videamus igitur,
 an eximere possimus hanc dubitationem his, qui cum illis
 sentiunt, explicata breuiter natura Sacramentorum V. T. quoad
 est ab Sacramentis nostris diuersa.

43. Ac fundamenti loco ponimus obseruationes quasdam,
 a quibus bene perceptis omnis rei diiudicatio pender. Dico igitur
 primum: Sacramenta V. T. habere *σχέσω* duplicem, quarum
 altera ad legem, altera ad Euangelium referatur. Causae hae
 sunt. Primum V. T. etsi et ipsum salutem per Christum promit-
 tit, vt supra diximus: tamen est et dicitur *οἰκονομία νόμος*, vt N. T.
τῆς πίστεως. Itaque in omnibus institutis debuit esse aliquid

coniuncti cum lege. Deinde in pacto, quod Deus fecit cum Abrahamo *Gen. XVII.* cuiusque sigillum fuit circumcisionis ceremonia, semina insunt foederis et legalis et Evangelici. Nam secretio posteritatis naturalis Abrahami ab omnibus ceteris gentibus, et promissio terrae Cananaeae, poena corporis constituta aduersus eos, qui circumcisionem neglexissent, legis profecto sunt, non Evangelii: at iustificatio per fidem, *Rom. IV, II.* cuius *σφραγίς* esset circumcisio, cuiusque omnes per totum terrarum orbem compotes fierent, in quibus esset talis fides, qualis in Abrahamo fuisset, ad foedus Evangelicum pertinet. Itaque consentaneum fuit, vt in Sacramento circumcisionis esset aliquid, quod ad vtramque illam rationem aliquam *σχέση* haberet. Similisque est ratio alterius Sacramenti. Nam securitas a pernicie primogenitorum erat legalis, quae contingeret omnibus, etiam non fidelibus, qui praeceptum Agni Paschalis seruassent: altera securitas a pernicie peccati, et morte aeterna, quae contingeret propter Christi sanguinem, quem agnus paschalis significabat, erat Evangelica. Denique cum totius *λατρείας* in V. T. esset ratio typica, haberetque duas partes, alteram, quae esset in typo, siue re sensibili, quae adumbraret bona futura, alteram antitypica, h. e. bona ipsa, quae in sensibilibus rebus intelligerentur: efficitur, vt etiam in Sacramentis fuerit vtrumque, sensibilis et intelligibilis res. His constitutis, sequitur, vt in Sacramentis V. T. tria insint: primum aliquid praefens et sensibus subiectum, in quo insit ea, quam *terrenam materiam* vocant: alterum, res typica, quam terrena illa materia significet proxime, et sine interiectu alterius, eaque inuisibilis, non per se, sed qua inest in promisso: tertium, res antitypica, eaque plane insensibilis atque coelestis. Haec iam ad vtrumque V. T. Sacramentum transferemus, quaeremusque aliquid, cuius signum fuerit circumcisio et agnus Paschalis, quodque idem intelligibilis alicuius et coelestis boni significationem habuerit.

44. De *Circumcisione* igitur sic reperietur. *Genes. XV, 18.* post saepe repetitas promissiones, Deus facit foedus cum Abrahamo,

hamo, cuius argumentum est promissio terae, posteris eius habitandae: idque repetitur distinctius *c. XVII.* ita, vt ponatur primo conditio foederis a parte Dei ea, quae ante dicta est, deinde a parte Abrahami circumcisio. Vnde manifestum est, rem proxime significatam circumcisione esse possessionem terrae Cananaeae, posteritati Abrahami promissae. Etenim in formula foederis instituti necessario debet exprimi res significata symbolis, vt in S. Coena et Baptismo. Sed quia, vt ante demonstrauimus, in V. T. omnia sunt typica, siue symbolica, haec quoque res talis esse debet, estque adeo symbolum coelestis patriae, Canaanis, quietis, per Christi sanguinem partae. Quae mirifice confirmantur disputationibus Paulli, quibus per Cananaeam terram coelestem felicitatem adumbratam ostendit, *Ebr. III, 18. IV, 3. sqq. XI, 10. sqq.* Quodsi Christus ipse, aut bona eius, sine typicae rei interuentu significata fuerunt in hoc Sacramento, quaeri potest, cur abolitum sit, idque et de Agno paschali valet. Enimuero est abolitum, vt cetera omnia, in quibus tantum esset adumbratio Christi et bonorum N. T. Vnde necessario sequitur, vt typicum fuerit. Non autem erat typicum, qua rem terrenam, et visibilem: quod alioqui etiam N. T. sacramenta typica forent, in quibus et ipsis est res talis, quae incurrit in sensus: sed qua rem proxime re terrena significatam. Quid? quod Paullus circumcisionem appellat *σοιχείον τῆ νόσους*, *Gal. III, 3.* Id nomen quomodo cadere in eam possit, si Christum proxime signaret cum bonis suis? Denique etiam poena neglectae circumcisionis corporea fuit constituta *Gen. XVII, 14. Exod. IV, 24.* quae profecto cum typo poenae, post mortem euenturae his, qui fide, qualis in Abrahamo fuisset, carerent, intelligi debet. In quo est perspicuum argumentum, in circumcisione etiam duplex bonum intelligendum esse, alterum, quod in hac vita contingeret, alterum, quod post hanc vitam speraretur. E quibus omnibus efficitur hoc, vt res coelestis in circumcisione sit vita coelestis, per terrae Cananaeae possessionem adumbrata.

45. Quod

45. Quod porro ad *Agnum Paschalem* attinet, in verbis, quibus ea cerimonia sancitur, *Exod. XII.* diserte commemorantur duae conditiones, quarum altera est Israelitarum, agnum illum rite assatum, cum pane non fermentato et amaris comedentium: altera Dei, promittentis *transitum angeli percussoris*, h. e. securitatem a plaga ea, qua Deus, per ministerium Angeli, perniciem omnibus primogenitis per Aegyptum intulit; a quo transitu etiam nomen ritus ille accepit. Ex quo fit, ut res inuisibilis, quae proxime significaretur re Sacramenti huius terrena, fuerit ille transitus angeli interfectoris. Sed, ut ipse Agnus fuit typus Christi, olim occidendi, et in S. Coena comedendi: sic transitus ille fuit typus securitatis nostrae et liberationis a morte et pernicie aeterna, per mortem et sanguinem Christi, cuius etiam carne et sanguine, tum proprie in S. Coenae Sacramento, tum assidue *πνευματικῶς*, per fidem, recreamur, et aduersus omnes irae diuinae terrores munimur.

46. Atque ex his etiam patet, qualis Israelitarum fides fuerit in istis Sacramentis, h. e. duplex obiectum habens, alterum terrenum, sed symbolicum, alterum intelligibile modo ac coeleste. Credere debebat promissionibus diuinis ad utilitatem aliquam, aut securitatem huius vitae, pertinentibus, quae proxime Sacramenti ritu significarentur, sed multo magis, quoad pertinerent ad res inuisibiles, et vitam futuram. Quod intelligitur etiam ex eo, quod vtrumque Sacramentum mansit parta possessione terrae Cananaeae, et post transitum interfectoris Angeli: ut nos celebamus S. Coenam post mortem Christi, et sanguinem ab eo profusum. In quo si quis quaerat, vnde constiterit Israelitis de re, per typum illum significata? responderim, e disciplina Prophetarum, qui Israelitis initia religionis vniuersae tradebant, et interpretabantur instituta, leges, et promissa diuina: quod multis hic demonstrari non est necesse.

47. Sacramenta autem illa fuere posthaec partes duae primariae *Legis Cerimonialis*, in qua vtriusque sanctio repetita est. Tota haec lex fuit voluntaria, sanxitque res nihil coniuncti habentes

bentes per se cum natura diuina atque humana, sed, quae sanctitatem acciperent partim ac diuino arbitrio, partim ab usu humano, qui esset voluntati et consilio Dei consentaneus, hoc est, a fide usurpantium, et obedientia erga Deum, et vniuersa animi in Deum pietate. Nam, qui secus in iis usurpandis versarentur, eos nihil agere, quod a se iustum esset, aut sibi placeret, saepe Deus professus est ipse. Ex quo intelligitur, legem illam nihil aliud habuisse, quam exercitationem fidei et pietatis per res eas, quas Deus voluisset, et disciplinam quandam Israelitis aptam. Quae res est obseruatione inprimis digna. Etenim, qui hoc teneat, neque mirabitur, si Deum legat istas cerimonias non probasse, ne iussisse quidem, *Pf. L.* et *Ier. VII. 21. 22.* nec cum *Spencero* descendat eo, vt eas Deum inuicem, et per quandam *συνοχὴν*, instituisse opinetur: quod eum, non malo forte consilio, operose demonstratum iuisse constat: ceterum arma ministravit religionis per diuinos libros traditae aduersariis nouitiis, quibus ad oppugnandam veritatem diuinam abuterentur: nec denique cum his offendetur illa lege, eamque ad contemptum religionis Iudaicae et librorum Mosaicorum trahet. Sed in hac lege sancienda nihil fecisse Deum, quod esset ab eius iure in homines alienum, e superiori parte disputationis intelligitur; nihil inesse, quod non consentiat sapientiae eius et benignitati, et ex eadem illa disputatione intelligi potest ab iis, qui vniuersae dicta ad res singulas transferre didicere, et distinctius tertia parte demonstrabitur.

48. Sed haec lex quamquam tota est per mortem Christi abolita *Coloss. II. 14.* idque ipsum sapientissimis de causis, vt docebinus: tamen placuit Deo, etiam in *N. T. religione* instituere quaedam voluntaria, quibus seruandis adstricta esset salutis consequendae ratio. In iis primus occurrit *Baptismus Ioannis*, deinde *Christi*. Nam Ioannem non imitatione quadam cerimoniae, dudum institutae in Profelytis initiandis, instituisse baptismo vt, dubitare nos non sinunt literae sacrae, quae rem omnem a Dei iussu reperunt, *Ioann. I. 33.* In eius autem ba-

ptismo suscipiendo veniam peccatorum atque spem salutis propositam fuisse, id ipsum intelligi potest et e professione Ioannis ac disciplina, et ex eo, quod hanc spem negat pertinere ad hypocritas, h. e. eos, in quibus non essent vera *μετάνοια* et fides, *Matth. III, 7. coll. 2. 6.* Quae res nobis dant locum disputandi quaedam, vel admonendi *de baptisimi Profelytici origine et loco Apostolicorum Actuum XIX, 4.* ad Ioannis baptismum pertinente, valde illo interpretum dissensionibus exagitato.

49. De *Profelytorum baptisimo* quae disputata sunt a doctissimis viris in utramque partem, ea non necesse est hoc loco commemorari: et possunt e libellis plurimis, vulgo obuiis, cognosci. De origine eius aliquid admonere satis habemus, quod aliis cogitandi, et rem accuratius copiosiusque explicandi occasionem prebeat. Eteum, quae de ea re vel Iudaei, omnibus institutis suis antiquitatem maximam adserere cupientes, traderunt, vel *Danzius (de Antiq. baptisimi Initiationis Israel.)* statuit, ea mihi semper contortissima visa sunt, nixa *lauandi* verbo, similibusque, e quibus tale quid deriuare non est interpretis, quod in verbis inest, agnoscentis, sed, quod inesse velit, exprimere per vim conantis: cuiusmodi est etiam de latino verbo eiusdem *Danzii* oppido ridicula (*§. 58.*) sententia, cum in verbis *Taciti* de Iudeorum profelytis, (*H. V, 5.*) *nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos etc. euidentis* esse, cum magna fiducia affirmat, (*nisi me omnia fallunt, inquit, baptisimi Iudaici testimonium, fretus verbo imbuendi:* in quo nullam talem vel leuissimam suspensionem locum habere, vel tiro latinitatis intelligat. Mihi autem de ea re sic videtur. Etsi Deus Abrahami genus delegerat ex omni genere humano, vt id veram religionem teneret, eamque ob causam etiam circumfisione secreuerat ab omnibus populis: tamen non modo non prohibuerat gentiles ab aditu ad vera sacra, sed etiam obscure ab initio (*Gen. IX, 27.*) clarius deinde et ipse praedixerat (*Gen. XVII, 7. coll. Gal. III, 8.*) et per Prophetas, Dauidem maxime et Esaiam, tempus fore, quo gentiles omnes promiscue ad communionem bonorum per
Messiam

Messiam sperandorum, vocarentur et adducerentur, idque fore tum, cum Messias venisset. Neque id ignorabant Iudaei, inprimis doctiores, agnoscuntque etiam recentiores. v. *Schoettgenii Hor. Talmud. Tom. II. p. 621.* Veteris Testamenti temporibus, quorum monumenta literis diuinis consignata habemus, aditum gentilibus patuisse ad Iudaica sacra per solam circumcisionem, ipsis libris sacris docemur: vt mirum sit, in illis temporibus origines baptismi profelytici quaeri. Reliquo porro ante Christum natum tempore, in sacris Iudaicis suscipiendis nihil praeter circumcisionem commemorari ab auctoribus rerum Iudaicarum videmus. *Iosephus* quidem (*Ant. XIII, 9. 11.*) in Idumaeis ab Hyrcano ad sacra Iudaica adactis eam solam commemorat. Nam Hyrcanum, ait, iis optionem hanc dedisse, vt vel relinquerent patriam, vel περιτέμνεν τε τὰ ἀϊδιᾶ, καὶ τοῖς Ἰσδ. νόμοις χρεῖσθαι instituerent, in hasque duas condiciones itum ab iis esse. Sed loca sunt Prophetarum, vt *Ioelis* et *Zachariae*, a Theologis Christianis dudum notata, in quibus haud obscure praedicitur baptismus Christianorum. Ex his necesse est cognitum habuisse Iudaeos, inprimis doctiores, siue sua sponte, siue interpretatione, et doctrina ipsorum Prophetarum, regno Messiae iniciandos homines fore baptismo. Eius autem regni initia prima recte ponebant in aduentu Eliae, a *Malachia* denunciato. Atque hinc commode intelligi possunt multa, quae vel non recte a multis capiuntur, vel ad opinionem de profelytorum baptismo trahuntur. Primum, quod, peruulgata de Ioannis baptismi fama, innumerabilis multitudo effunditur ad eum suscipiendum, id non factum propterea, patet, quod baptismi iam essent adfueti: etenim ille, si erat, ad solos gentiles pertinebat: sed quod regnum Messiae adesse audiebant, eique iniciandos per baptismum homines fore, didicerant. Deinde, quod legati Consilii Iudaeorum publici Ioannem interrogant: an sit Elias, vel Christus, quia baptismos exerceat, itemque, quod mirantur, quid sit, quare hoc faciat, cum se nec Eliam, nec Messiam, nec prophetam, ei rei a Deo missum, profiteatur, id clare arguit, ita esse, vt diximus, h. e. venisse iis

in mentem de vaticiniis illis. Nam, si de profelytorum baptismo cogitabant, quid id ad Ioannem, qui Iudaeos baptismo imperiebat: deinde, quid opus mirari institutum Ioannis, de eo publicum consilium habere, publice mittere legatos? sed illos ipsos Patres non minus ac plebem, audita re, percussos esse cogitatione hac, an adesset regnum Messiae, tanto probabilius fit, quod satis constat, illis temporibus inter Iudaeos hanc opinionem, nixam illam vaticiniis prophetarum, fuisse, non procul abesse Messiae regnum, cum etiam esset propheta, (*Luc. II.*) cui promissum esset diuinitus, non moriturum ante, quam vidisset Messiam: quem id clam habuisse, nullo modo credi potest. Quodsi ante Ioannem fuit aliquid baptismi, quod in profelytis vsurparetur, quod nec pro certo affirmauerim, nec praefraete negauerim, quamquam id non diu ante institutum esse potuit: id, non improbable mihi videtur, ortum esse ab illa re, quam diximus, quod scirent, ad Messiae regnum, ad quod gentiles quoque vocandi essent, aditum fore per baptismum; eamque rem iam tum adumbrare vellent. Sed hanc suspicionem alius diligentius examinandam relinquo.

50. Enimvero illi ipsi baptismi, quot Ioannes diuino de praecepto vsurpauit, an et quomodo a baptismo Christi diuersi fuerint, disputari in scholis Theologorum solet: neque necesse est, hic eam rem explicauit. Et est nimis clarum, in vtroque spem condonandorum peccatorum, et salutis per poenitentiam et fidem in Messiam fuisse propositam, atque haecenus neutrum aliquid ab altero diuersum habuisse: idque aduersus Romanae Ecclesiae Theologos abunde demonstratum a multis est. Sed quoniam quidam ad tollendam baptismi Ioannei vim abusi sunt loco *Lucae, Act. XIX, 4. sqq.* quod ii, qui Ioannem baptismum iam susceperant, vsi esse dicantur baptismo altero Christi, propterea coeptum est in eo loco explicando laborari, et verba *ἀνίσταντες δὲ ἐβαπτίζοντο* etc. relata sunt ad illos ipsos, qui a Ioanne initiati essent: h. e. non propter rationes exegeticas, quae in tali re solae sunt audiendae, nec, quae per eas clare

clare insunt in verbis librorum diuinorum, vllō modo obesse possunt, aut repugnare summae veritatis Christianae. Sed per illas rationes nullo modo alius sensus ex illis verbis exprimi potest, quam hic, vt, cum Paullus demonstrasset, Ioannem quidem baptismum instituisse, qui aboleret peccata, *v. 4.* sed per fidem in Messiam mox venturum, enimvero opus esse nunc fide in Messiam, qui venerit, et baptismo cum tali fide suscepto, post quem etiam dona Sp. S. darentur, quae solus Christi baptismus daret, tum vero, his auditis, susceperint baptismum Christi, impositisque manibus acceperint dona Sp. S. Hoc ita esse, quicumque primum hunc locum legerit, nondum imbutus aliqua opinione, existimabit, et existimauit omnis Ecclesia vetus, cuius doctores eum locum summo consensu sic interpretantur. Eam autem interpretationem non eo valere, quo quidam etiam SS. Patrum trahunt, vt Ioannis baptismus ἀτελής fuerit, sed bene consentire cum sententia Ecclesiae nostrae, de perfectione et vi baptismi Ioannei, non alienum est demonstrare paucis. Pertinet enim ad accurate cognoscendam primi in N. T. instituti arbitrii rationem.

51. Primum, hoc negari vix sine impudentia aut magna inficitia sermonis potest, verba ἀκούσαντες δὲ semper indicare rem, orationemue praegressam, ad quam referantur, qua audita dicantur homines aliquid cogitasse, decreuisse, fecisse etc. referri- que ad rationem primariam, non verba a dicente relata. In ipsis libris sacris sic ea forma est omnibus locis, vt *Act. II, 37.* nec exemplum in contrarium afferri potest. Deinde, Ioannes non ἐβούτισε εἰς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ, professor fidem in Iesum: etenim id nomen Messiae fore, tum nondum constabat: sed Apostoli demum sic fecere. Paullus porro ipse tantum per interpretationem docet, Ioannem initialle homines in nomen Iesu, non diserte, ac nominatim: per ἐρχόμενον intellexisse hunc ipsum Iesum, qui suis dona Spiritus daret, non ipsum nominasse. Denique necesse est, vt ii, qui ἐβάπτισαν Ἰησοῦν, sint ii, ad quos pertinet mox sequens αὐτοῖς: καὶ ἐπιθέντος αὐτοῖς

Παῦλος τὰς χεῖρας: sed hi alii, quam αὐθόαντες illi, esse non possunt. Enimvero demonstrare me posse, confido, non propterea consequi, aut timendum esse, ne Ioannis baptismus vi sua priuetur. Ac vel illud argumento est, hunc timorem inanem esse, quod, si susceptio baptismi Apostolici post Ioanneum huius vim aboleret, consequens esset, vt etiam baptismus tolleretur vim circumcisionis, quae et ipsa veniam peccatorum et salutem dabat per fidem in Messiam: quod nemini venit in mentem suspicari. Sed res erit, vt ego arbitrator, planissima, si sic eam intelligamus, vt profecto intelligi debet.

52. Circumcisio, id quod satis constat, dabat salutem et bona promissa a Deo, *per fidem in semen Abrahae venturum*. Ioannis baptismus dabat eadem, sed *per fidem in τὸν ἐρχόμενον*: non bene interpretantur simpliciter *venturum*: quod, si nihil aliud requirebatur, non opus erat baptismo, cum omnes ante credidissent, venturum Messiam, inde ab Euae temporibus, in eamque fidem facta erat circumcisio. Messias in V. T. omni dictus est ἐρχόμενος, *venturus, κατ' ἐξοχήν*, e Gen. XLIX, 10, vt innuit Cyrillus Hierosol. *Catech. XII. p. 261. ed. Preuotii: Ἀλλ' ἔτος ὁ ἐρχόμενος προσδοκῶν ἐθνῶν*. Sed in Ioannea doctrina intelligendus est *mox venturus, statim a Ioanne venturus: μετ' ἐμὲ ὀπίσω μὲ*, inquit ipse: vt patet etiam e summa eius: ἡγγικεν ἡ βασιλεία τῶν ἁρῶν, *Matth. III, 2*, non, *futurum est, sed imminet, adest, instat*. Iudaei igitur, cum ante credidissent, Messiam venturum, eiusque adeo desiderio tenerentur, si non pio, atque a cupiditate bonorum coelestium nato, at eo, quod opinione de potentia Messiae in rebus humanis ortum esset, non mirum est, si libenter baptismum Ioannis susceperunt, *Matth. III, 5*. praesertim cum, vt ante diximus, aliunde iam concepissent spem aduentantis regni noui. Sed, posteaquam Messias et venerat in hanc vitam, et ex ea in coelum abierat, constituto iam et praesente regno Christi, isque iusserat baptismum suscipi in nouam formulam, suumque nomen, non sufficiebat baptismus in Messiam *mox venturum*, vt non suffecerat paullo

paullo ante circumciso in futurum, sed debebat fieri in Messiam, qui venisset, credique et professione declarari, eum esse Iesum Nazarenum, in cruce pro nobis mortuum, et in coelos sublatum. Itaque, ut Ioannis tempore non sufficebat circumcisis, quae suscepta erat in Messiam quocunque tempore venturum, sed baptismus suscipi debebat etiam a circumcisis, qui infitutus erat diuinitus ad homines mox venturo Messiae rego praeparandos: sic tum ii, qui Ioanneo baptismo vsi fuerant, debebant regno praesenti Christi per nouum baptismum initiari. Neque enim sufficebat ad salutem, credere Messiam mox venturum. *Matthaeus* (III, 5.) tradit, non modo *urbem Hierosolymitanam* effusam esse ad illum baptismum obeundum, sed etiam *Iudaeam vniuersam, et omnem Iordanicam oram*. In his quam multos fuisse, credibile est, qui Iesum non agnoscerent eum, quem mox venturum credidissent, sed repudiarent, et supplicio eius cum Saulo fauerent? His igitur non magis proderat posthaec ille baptismus, etiamsi vero animo susceptus antea, quam circumcisio. Vnde fit, ut necessario ab iisdem omnibus Christi baptismus susciperetur, salua pristina et circumcisionis, et Ioannei baptismi vi. Quod etiam colligi potest ex eo, quod *Petrus*, cum graui illa concione, cuius summa refertur a *Luca Act. II.* commouisset omnium animos, interrogatusque esset, quid se facere vellet, simpliciter respondet: *βαπτισθήτω ἕνασος ἐπὶ τῷ ὀνόματι* I. X. Non excipit eos, qui Ioanneo baptismo vsi essent, qui esse poterant in tanta multitudine: sed omnes sine exceptione suscipere baptismum iubet in nomen I. C. Atque ita vsi sunt Christi baptismo hi, de quibus est in illo controuerso *Lucae* loco sermo. Nam, cum audissent, Ioanneum baptismum quidem et ipsam ad Christum pertinuisse, sed mox affuturum, nunc autem e praeepto Christi baptismum esse suscipiendum in nomen Iesu Nazareni, atque ita se etiam venturos in communionem donorum Spiritus S. cognouissentque et praeeptum diuinum, et promissum, obierunt baptismum, eo-

que

que suscepto, cum ipsis imposuisset manus Apostolus, etiam accipere coelestia dona.

53. Hic solet obiici locus ex iisdem *Actis XVIII. extr.* de Apollonio, quem accuratius quidem edoctum fuisse, aiunt, Christi doctrinam, quam ante e Ioannis disciplina acceperat, sed sine repetitione baptismi. Enimvero nusquam dicitur eum non rursus usum esse baptismi: res, ut nota et solennis, praetermittitur. Ecce enim nec illud traditur, eum accepisse impositis Apostoli manibus τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, h. e. dona Spiritus sancti extraordinaria. An propterea negabimus, ea accepisse? Immo, quia id fiebat semper, eam ob causam praeteriri silentio solet. Multo autem minus aliquid in contrariam partem valet locus alter *Act. VIII, 14.* quod ibi ne sermo quidem est de discipulis Ioannis. Nam λόγος Θεῶν, quem Apostoli audierant, receptum fuisse Samariae, Euangelium fuit, quod a Philippo ibi traditum fuerat, et baptismus ab iis susceptus fuerat e manibus eiusdem Philippi, non Ioannis. Itaque non repetitione baptismi opus erat, sed impositione manuum Apostolica, ut donis Sp. S. bearentur.

54. Sed, ut *Sacramenta vniuersa* ad disputationis nostrae consilium accommodemus: in omnibus est institutum religionis voluntarium, quod nulla ratio humana sua sponte potuit assequi, nec habet ullam necessariam copulationem cum natura vel diuina vel humana. Neque alia facile res est, in vniuersa religione Christiana, in qua magis arbitrium illud diuinum religionis constituendae appareat, quam baptismus. Est enim clarum, eum nihil habere, quoad aqua perfundit hominis corpus, quod habeat per se aliquam efficientiam, pertinentem ad animos humanos, atque salutem. Et tamen Deo placuit, huic tali, tam tenui rei, praeecepto ac promisso suo adstringere rationem salutis vel expetendae vel sperandae, *Mart. XVI, 16. Act. XXII, 16. etc. II, 38.* et ita, ut alia taceam, ius suum in religione ostendere ac firmare. Neque enim in illa aquae affusione est mera
cerimo-

cerimonia, aliquam vtilem ad monendos homines tantum significationem habens, vt quidam existimant, quamquam hanc quoque: quod si esset, tamen vt institutum, pertinens ad fidei et pietatis exercitationem, probaretur: sed quaedam pars religionis Christianae, ad salutem necessaria: quam necessitatem ille omnem habet a voluntate ac decreto diuino. Itaque diserte refertur ad βελήν Θεῶ, *Luc. VII. 29.* siue, vt Paullus loquitur, quamquam in alia re, *Eph. I, 11.* βελήν τῆ θελήματος αὐτοῦ, *ad liberrimum decretum diuinum.* Est omnino locus ille perspicuus pro causâ nostra: in quo plebs, et improbissimum genus hominum, τελῶνας, cognita Ioannis disciplina suscepisse dicuntur baptismum, in eoque δικαιοῦσαι τὸν Θεόν, *Deo ius suum reddidisse: βαπτισθέντες,* ait, *εδικαίωσαν τὸν Θεόν, suscipiendo baptismum ius suum Deo reddidere.* Quomodo ius Deo reddidere? Nempe agnoscendo eius in salutis sperandae et petendae ratione, arbitrium, eius βελή, voluntati ac decreto, se submittendo, et beneficium diuinum, quod in ea re tribueretur, vidento. Theologi autem Iudaeorum quid fecere? Reiecerunt baptismum. In eo quid commiserunt? μή βαπτισθέντες τὴν βελήν τῆ Θεῶ ἠθέτησαν, *repudiando baptismum repudiarunt decretum Dei, sanctionem diuinam de salute humana, et, quantum in ipsis fuit, Deo ius fanciendi religionem eripuerunt.* Nam βελή τῆ Θεῶ in causâ religionis, non est *confilium Dei,* ne quis erret, quale nostra vernacula sonat: sed ratio a Deo praescripta salutis petendae ac sperandae, voluntarium Dei decretum de modo quaerendae salutis, ἡσθη, *εὐδοκία αὐτοῦ,* θελημα: quomodo βελήν Θεῶ dixit apud eundem *Lucam* Paullus, *Act. XX, 27.* cum se, ait, Ephesi tradidisse, summa cum fide, *πᾶσαν τὴν βελήν τῆ Θεῶ,* h. e. omnes religionis a Christo institutae partes ad salutem necessarias, *μετάνοιαν* maxime *εἰς Θεόν καὶ πίστιν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν I. X. v. 21.* Verbum autem ἀθετεῖν, quo vsus est *Lucas,* propriam sedem habet in legibus, et in iis, qui auctoritatem legislatariam obtinent,

K

quorum

quorum decretis parere fas est, vt *Hebr. X, 28. Iud. 8.* Enimvero, quae de baptismo diximus, ea, in promptu est, communia esse Sacramento Veteris Testamenti primo, cuius visibilis ratio fuit in pudendorum virilium circumcissione. In Sacramento autem corporis et sanguinis I. C. quod est N. T. alterum, etsi non est par baptismo necessitas: propterea, quod in eo est potius exercitatio et alimentum diuinum fidei amorisque in Deum hominesque, et pignus spei salutisque nostrae amabile, quam partae per Christum salutis consequendae lex et modus: tamen necessitatem habet hanc, vt, qui sit in facultate huius cerimoniae rite obeundae, neque tamen ea facultate vtatur, in eo vera fides esse atque spes adeo salutis nulla possit. In quo simillimum est Sacramento V. T. in cuius locum successit.

55. Sed omnium talium institutorum communis haec est ratio, vt nullam habeant naturalem necessitatem, sed necessitatem suam ducant ab auctoris voluntate, sintque in numero rerum voluntariorum. Eaque ipsa necessitas non est in instituendo, sed in obeundo. Necessesse est homini, institutis istis vt diligenter e praescripto diuino: sed neque diuina neque humana natura habet aliquid, propter quod necessesse fuerit Deo, eas partes religionis constituere. Coniunctionem igitur habent ex institutione diuina necessariam cum religione, sed non cum natura diuina et humana: quae si esset, ratio humana intelligere sua sponte eas res vel potuisset, vel posset. Quod non esse, quis non intelligat? Neque vero est, quod quis nobis obiciat, omnes eas partes religionis, vel Iudaicae, vel Christianae, quas voluntarias dicamus, primum non esse alienas ab diuinis perfectionibus, sed cum iis praeclare consentire; deinde accomodatatas naturae humanae: quae sint ab natura arbitrii aliena. Etenim nos non sumus ii, qui dubitemus, quin omnes illae arbitriae religionis partes nihil habeant abhorrens a natura vel diuina vel humana: quippe id in omni hac disputatione intelligi volumus; cum nihil tale

tale possit a Deo proficisci. Sed in eo est mera conuenientia, quae hanc vim habet, vt Deus tales res possit, salua maiestate sua, instituere, non autem necessitas talis, vt repugnet, Deum eas non instituere, vt intelligi et plane demonstrari possit, Deum eas res praescribere, et in parte religionis ponere debuisse, si conseruare suam bonitatem, suam sanctitatem vellet, et has denique potius, quam alias: qualis necessitas est in partibus religionis eius, quam naturalem vocamus, quae est tota prorsus necessaria: vnde fit, vt omnes eius partes rationis humanae vis assequi possit, et assecuta sit: quod, omnes vident, secus esse in iis, de quibus nos disputamus, religionis Christianae partibus. Illud etiam fate-mur, ista instituta non modo non abhorrere a perfectionibus diuinis, sed earum etiam magnitudinem, vim diuinae benigni-tatis, sanctitatis, sapientiaeque, praeclare demonstrare, id quod omnibus paginis clamant Epistolae Paullinae, nosque propria Disputationis parte demonstraturos professi sumus. Sed ne hoc quidem talem efficit necessitatem, qualem esse in naturalibus reli-gionis partibus diximus. Sapientiam arbitrii diuini ea res de-monstrat, non arbitrium ipsum tollit. Neque enim arbitrium sua natura repudiat bonitatem, iustitiam, sapientiam, sed ab ea in homine regi debet, in Deo semper regitur, non, vt quicquid ab iis non abhorret, id statim decernat, sed vt, quod decernat, id iis semper consentiat, id iis illustrandis mirifice proficit. Quae duo, video, a nouitiis disputatoribus parum subtiliter confundi, cum sint longe diuersa: eaque res nos admonet, vt contra eor-um rationem aliquid de vniuersa religionis *οικονομια* dicamus. Sed ante absoluamus id, quod nunc agimus. Videamus igitur, quicquid est institutorum humanorum, in republica, in artibus, in disciplina publica et priuata: omnibus hoc reperietus esse commune, vt habeant coniunctionem aliquam et conuenientiam cum ea re, cuius causa comparata sunt, ob eamque probentur et laudentur, sed vt ea nemo propterea necessaria putet, ac non agnoscat arbitrium eius, a quo sunt profecta. Iraque alii legis-
latores

latores humani, alii magistratus, imperatoresque, alii artifices, alii doctrinae professores, alii denique patres familias aliis institutis, alia disciplina utuntur: in eoque fit saepe, ut in diuersitate institutorum idem consequantur, sitque interdum perdifficile ad iudicandum, uter plus ac citius profecerit. *Aditur non una via, Plinius ait de altera villa sua Ep. II, 17.* Laurentina et Ostiensis. Sed Laurentina a quartodecimo lapide, Ostiensis ab undecimo relinquenda erat. Vtrinque excipiebat deinde iter simillimum solo ac regionibus. Quid igitur? Vtraque via XVII. passuum millia habebat. Vtra iret Plinius, nihil referebat, eodem tempore in villam veniebat. Poterat igitur Deus istis Sacramento- rum institutis non uti: etenim salutem hominibus dedit ante illa instituta: poterat etiam aliis uti: quis enim audeat sapientiae diuinae hos tam angustos limites circumdare, ut praeter haec ei in mentem nihil tale venire potuerit, quod parem vim haberet, eamque infra ingenii humilitatem deprimere, quod multas sibi ad eandem rem vias munire ac patefacere potest? Quod ea induxit in religionem, quod haec potius, quam alia: in eo vero arbitrii diuini libertas est agnoscenda, sapiens illa quidem, et benigna, et sancta, sed libertas tamen, quae ei, salua natura, ipse, eripi nullo modo possit.

56. Atque haec facile etiam poterunt accommodari ad alteram religionis Christianae voluntariam partem, h. e. ad *fidem*: de cuius vera natura supra (§. 36.) dictum est. Nam et ipsa refertur ad *βελήν Θεῶν, Act. XX, 21.* in qua decretum diuinum de modo salutis expetendae intelligi, vidimus. Ea vero etsi ita accommodata est naturae humanae imbecillitati, ut nihil sit ad intelligendam benignitatem diuinam erga genus humanum, et sapientiam diuinam illustrius, quod me, duce et auctore Paullo, tertia parte claris et non refellendis argumentis demonstraturum confido: tamen nullo modo in ea intelligi potest necessitas aliqua, propter quam Deus hunc sperandae accidiendaeque salutis modum

modum statuerit. Nam primum non decet homines, his vinculis constringere arbitrium diuinum, vt ei licuisse negent, sine tali conditione, partam a Christo salutem dare hominibus. Impium est, et a recta ratione alienum, si quis Deum cogat beneficia sua sine conditione tribuere, nullam accipiendi legem ponere, vt prima disputatione vicimus: sed nec illud satis consentit reuerentiae, quam Deo debemus, ei non hoc iuris concedere, vt simpliciter et sine tali conditione possit beneficia sua largiri. Nec magis convenit existimare, cum Deo placuisset, certum accipiendae salutis modum hominibus praescribere, qui esset se dignus et homini aptus, nullum alium ipsi occurisse, in quo talis et benignitas et conuenientia esset, Deique adeo arbitrium huic vni, qui nunc est, adstrictum fuisse. Nimis profecto angustos fines poneremus infinitae intelligentiae diuinae, nimis in ordinem cogeremus libertatem Dei. *Ἐυδούνησεν ὁ Θεός, αὐτὸν Παῦλος (1 Cor. I, 21.) διὰ μωρίας τῶν κηρύττωντων σώσαι τοὺς πειθεύοντας, libuit Deo per disciplinam stultam salutem dare credentibus.* *Ἐυδούνη* Θεῶ igitur, *arbitrium diuinum* est in tota illa ratione salutis dandae et accipiendae, sed eiusmodi, quod inani quidem sapientia elatis hominibus, qui omnia suis opinionibus metantur, stultum minimeque probandum videatur, ceterum recte et modeste iudicantibus, et arcana sapientiae diuinae pie scrutantibus, plenum sapientiae reperiatur.

57. Nihil habet Christi disciplina voluntarium, praeter fidem et Sacramenta, quoad hominibus modum salutis accipiendae quaerendaeque tradit: in quo ipso perspicua sapientiae diuinae vestigia impressa sunt, quae persequemur alio loco: sed habet, quoad modum salutis humano generi redditae explicat ac demonstrat. Ea res quamquam ita euidentis est iis, qui in doctrina Christiana nihil, nisi diuinam auctoritatem vident, literis sacris proditam, vt disputatione minime egere videatur: tamen inani subtilitate, siue potius argutatione eorum, qui scabiem ali-

quam demonstratiuam, quam celerrime arripiunt ingenia non bene subacta humaniorum literarum disciplina, e scholis Philosophorum ad Theologiae disciplinam attulerant, ita est obscurata, vt saltem illam demonstrationum metaphysicarum caliginem dispellere, et solis lucem reterege necessè sit. Summa autem earum demonstrationum, quas cum suis auctoribus commemorare nihil attinet: nam rem, non homines, notamus, quos etiam non malo consilio peccare confidimus: ea igitur summa redit fere huc, vt docere conentur, ea, quae Deus decreuerit, fecerit, vt a pernicie seruatus homo ad felicitatem veram aeternamque adspirare possët habuisse eam coniunctionem cum eius bonitate et sapientia, vt aliter facere vix, immo nullo modo potuerit. In quo illi specie aliqua artis ac subtilitatis conturbati, quod fere accidit ingeniis pusillis, totam rationem differendi de talibus rebus perturbant. Nam primo, non viderunt, toto, vt aiunt, coelo diuersa esse haec duo: primum, hoc Deus fecit, decreuit, voluit: bonum igitur, et sapiens, et diuina maiestate dignum, et praedicandum est: alterum, hoc mihi videtur esse non alienum a bonitate et sapientia diuina, hoc si Deus fecerit, decreuerit, bene et sapienter vel fecerit, vel mihi, hominiue alii, facere videatur, nec aliud, quod magis bonum, salutare, sapiens sit, scio, aut intelligo, aut quisquam intelligit: fecit igitur, facietue, nihil igitur aliud facere potuit, fecit facietue, vt qui optimum sequitur per naturae suae perfectionem necessario. Prima illa ratio est verissima, et constanter tenenda: in qua si quis indaget etiam, aliisque demonstrat argumenta bonitatis, et sapientiae diuinae, ad eum modum, quo Physici quidam in rebus naturalibus, hoc nostro maxime seculo, inuestigarunt, rem fecerit, quae laudetur merito, et omnium studii commendetur. Et enim Deus voluit in ratione seruandi generis humani, quam *οικονομιαν* Paullus vocare solet, *πλεστον χάριτος, πολυποιοιδου σοφιας*, diuitias benignitatis, et multiplicem sapientiam (Eph. I, 7. II, 7.

II, 7. III. 10. etc.) demonstrare hominibus; quas adeo conuenit scrutari et agnoscere. Sed altera ratio tota est fallax et nugatoria, vt paucis docebimus.

58. Primum igitur, qui tu es homo, quae ingenii tui vis, qui audeas, ratiunculis quibusdam tuis fretus, discernere, quid in quaque, siue in tali, tam graui causa, bonitas et sapientia diuina desideret, vt tam confidenter pronuncies, quid et quare Deus fecerit, facere debuërit? cum ne angeli quidem id videre se putent, et in illa salutis humanae causa viderint? Sed sit aliquid non abhorrens a benignitatis diuinae magnitudine. An propterea consequens est, vt id faciat Deus feceritque. Nec abhorrebat ab ea, te subtilem disputatorem efficere. Immo alia ei non minus atque adeo magis consentanea esse possunt. Qui tu assequi rationem speres, propter quam Deus hoc potius, quam cetera, quae tu etiam ignoras, omnia facturus sit feceritque? Deceuerit porro aliquid Deus, instituerit, fecerit. Bene est, benigne et sapienter fecisse fatemur. Sed an propterea necessario primum fecit, decreuit? deinde hoc fecit, hoc decreuit? An aliquis audeat dicere, nihil aliud vidisse Deum, in quo posset non minus benigne et sapienter facere? cum homines possint videre, videant, diuersisque saepe viis, quo velint, pari opportunitate et celeritate perueniant, diuersis artibus idem efficiant? Quanto modestius, et ad pietatem reuerentiamque, quam Deo debemus, aptius, denique aduersus benignitatem Dei gratius est, agnoscere diuinam in tota ratione et oeconomia reparatae salutis humanae arbitrium, omnibus illis vinculis liberum, quae ei ratio humana argutiis suis iniicere conatur, et ita beneficii diuini magnitudinem augere. Est enim hoc institum in animis nostris, vt, quanto quis liberior fuerit in tribuendo beneficio, praesertim magno, tanto maius beneficium putemus, tanto plus ei nos debere iudicemus, a quo nobis est tributum.

59. Ac

59. Ac profecto ipsa rei natura, et multo magis diserta sacrarum litterarum auctoritas ita nos iubet statuere, vt, quaecunque Deus salutis nostrae causa decreuit atque fecit, ea omnia arbitrii eius ab omni necessitate liberi fuisse dicamus. Primum, cum homines culpa sua perdidissent salutem, in tanta facultate retinendae integritatis, quam facta ad similitudinem sanctitatis diuinae natura dederat, nihil homini, praeter spem fortasse aliquam, sed plane incertam, et hinc preces relinquebatur, quibus benignitatem diuinam adiret. An rationes sapientiae, sanctitatisque diuinae ferrent, vt venia sibi daretur, an Deus daturus esset, nullo modo ratiocinando assequi poterat. Itaque videmus, Deum non expectasse preces supplicis hominis, sed ei veniam et spem salutis obtulisse. In quo est magnum eius rei perspicuumque argumentum. Etenim quid causae esse dicamus, quare Deus non desiderarit preces humanas, aut expectarit in re tanta, qui eas in aliis rebus omnibus, quarum potiundarum spes est homini, desiderat, et pietatis officiique nomine exigit? nisi quod, cuius rei sperandae nulla idonea subest causa, in ea preces locum non habent, in ea nec fiunt ab homine non stulto, nec expectantur aut requiruntur ab aequo et sapiente. Vnde fit, vt res omnis de salute homini reddenda, plane redierit ad arbitrium diuinum: quod non minuebatur benignitatis diuinae magnitudine. Benigitas enim, quamuis magna, tantum vniuersae valet eo, vt quis a beneficiis tribuendis non alienus putetur: non huc, vt ex ea singulis in causis, quid quis facere vel debeat, vel facturus sit, certa ratione definiri possit, intercedente iam voluntatis arbitrio, quod non modo benignitate, sed aliis etiam virtutibus, iusticia, sanctitate regitur: quibus omnibus in consilium adhibitis, ipsum, quid velit fieri, decernit. Fuit igitur totum hoc decretum diuinum, de hominibus ad salutem reuocandis, plane voluntarium ac liberi arbitrii.

60. Atque

60. Atque id claris sacrarum literarum dictis confirmari potest: primum omnibus iis, quibus tota haec generis humani quasi in integrum restitutio, *χάρις, Φιλανθρωπία, ἔλεος, χρηστότης* appellatur, et tota ad beneficium refertur. Enimvero beneficium, quod vere et proprie dicatur, totum esse debet positum in arbitrio eius, a quo venit. Quod est planius edifferendum. In omni beneficio humano concurrunt duo, beneficium ipsum et officium. In illo est libertas plena, in officio necessitas aliqua, quae illam ipsam beneficii libertatem aliqua ex parte minuit, propterea, quod homo debet benefacere ei, cui beneficium dat. Sed hae res duae diuersam habent *σχέσιν*. Nam quoad beneficientis actio refertur ad Deum, a quo officium ducitur, haecenus non est omnino libera, aut arbitrii humani, quod officii necessitate, vt diximus, quodammodo coercetur; sed, quoad pertinet ad hominem, qui beneficium accipit, est merum beneficium, hoc est, omni ex parte libera et arbitraria: neque vlllo modo licet homini, vel dignissimo beneficiis, dicere ei, a quo beneficium petit, vel sperat: debes mihi beneficium dare, bene mihi facias necesse est. Igitur humana beneficia Deo necessaria, homini accipienti libera sunt. In diuinis autem beneficiis, praefertim iis, quae nulla promissio praecessit, nec debemus, nec possumus quicquam necessitatis talis intelligere: propterea, quod vnam tantum ac simplicem habent relationem ad eum, cui tribuuntur, nec vllam habent copulationem cum officio, quod nullum in Deum cadit. Vnde clarum est, primum, nihil esse in illo, de quo loquimur, beneficio diuino, quod habeat aliquam vmbra necessitatis, e qua homo ratiocinando intelligere possit, id Deum vel tributurum, vel non potuisse non tribuere: deinde, qui hoc ratiunculis velit efficere, vt Deus non potuerit non salutem hominibus reddere, beneficium diuinum conuertere in officium, quod in Deo locum non habeat, et minuire beneficium ac tollere. Itaque sicut Paullus *χάρις* negat esse *χάρις*, sed *μισθὸν* et *ὄφειλημα*, si ea tribuatur recte factis

factis et legi, *Rom. IV, 4.* eosque iudicat ἀθετεῖν τὴν χάριν, *rollere beneficium*, qui eam a legis et seruati officii necessitate repetant: sic profecto eos quoque tollere beneficium diuinum dicemus, qui id non potuisse non Deum tribuere hominibus demonstrent, et arbitrii diuini in eo tribuendo libertatem limitibus vllis circumscribant.

61. Sed, vindicato arbitrio diuino in beneficio restituti generis humani vniuerso, restat, vt pari arbitrio vsum esse Deum vincamus in ἀνομιᾷ χάριτος, in modo constituendae salutis per filium ἐνανθρωπήσαντα, peccatorum expiandorum causa foede interfectum, et inter summos animi corporisque cruciatus mortuum. In quō quaeri potest: an hic vnus modus fuerit positus in facultate et potestate diuina, quo succurreret homini? Quod si est, nihil in eo fuit Deo liberum, cum placuisset opem ferre hominibus. Atque nos non sumus ii, qui nobis arrogemus, confidenter in alterutram partem pronunciare. Accipere ita oportet beneficia diuina, vt eorum magnitudinem ponderemus potius et laudemus, quam vt quaeramus, aliudne beneficium, alio modo tribui potuerit. Sed vidi tamen praeclaros Theologos, qui statuerent, nihil impedire, quominus credamus, Deum, pro infinita sapientia, pluribus modis reuocare quasi in concordiam potuisse benignitatem et sanctitatem suam, et sic hominum saluti consulere. Quod si probamus, efficitur, vt ea ratio, qua Deum fuisse vsum videmus, praestantissima illa quidem sit omnium, quarum Deo facultas fuit: quid enim maius filio Dei cogitari potest, per quem nobis salutem dedit, ceterum in ea quoque arbitrium Dei amabile intelligatur. Atque eam sententiam hoc facilius sequor, quod est consentanea sacris literis, nititurque diuina auctoritate. Nam in epistola ad Ephesios *Paullus (I, 5.)* cum ait, Deum nobis destinasse ius adoptionis per Iesum Christum κατὰ τὴν ἐκδουλίαν, addit, τὸ θελήματος αὐτοῦ, εἰς ἑπαίνον δόξης τῆς χάριτος, liber-

liberrimo voluntatis suae decreto, ut admirabilis benignitas sua illustraretur. In quo ne putemus, decretum referri ad beneficium vniuersum, h. e. ad destinationem illam adoptionis, non ad modum beneficii tradendi, ad Iesum Christum, cauit Paulus ipse, eadem re repetenda, et clarius exprimentenda. Nam mox (v. 9. sqq.) ἀπολύτρωσιν διὰ τῆς αἱμάτων τῆς Χριστοῦ, reparationem salutis per mortem Christi appellat μυστήριον τῆς θεότητος αὐτῆς, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτῆς, ἣν πρόθετο ἐν αὐτῷ, arcanum voluntatis benignae decretum. Quale illud decretum tam liberum fuit? εἰς οἰκονομίαν τῆς πληρώματος τῶν καιρῶν ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν Χριστῷ tempore, quod consilio suo destinarat, omnia per Christum reuocare ad vnum caput, ad communemque salutem: per quem et sibi hanc salutem destinatam ac datam esse dicit, κατὰ πρόθεσιν τῆς τὰ πάντα ἐνεργήσας κατὰ τὴν βουλὴν τῆς θεότητος αὐτῆς, benefico decreto Dei, omnia arbitrio suo agentis: quibus similia sunt in eadem epistola pluribus locis. Atque ego non ignoro, ea omnia maxime a Paulo referri ad bonorum per Christum partorum communicationem cum gentilibus, horumque cum Iudaeis in Ecclesia Christiana coniunctionem: clara enim res est e c. III. sed manet tamen id, quod caput rei est, hanc salutem, hanc ἀπολύτρωσιν διὰ τῆς αἱμάτων τῆς Χριστοῦ, hanc ἀνακεφαλαιώσιν per Christum, esse ab εὐδοκίᾳ τῆς θεότητος θεῆς, κατὰ βουλὴν τῆς θεότητος αὐτῆς. Vnde licet colligere, non, quod alia ratio nulla Deo in promptu esset, propterea hanc fuisse probatam, sed quod ea maxime ipsi placeret, quia vellet hominibus demonstrare τὸν ὑπερβάλλοντα πλεόν τῆς χάριτος αὐτῆς ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, immensas diuitias benignitatis suae, beneficio suo nobis per Christum tribuendo demonstrare, II, 7. quod luculentius, immo aequae luculenter, fieri alio modo nullo posset.

62. Neque vero est, quod quis nobis illa philosophorum oracula occinat, sapientem, multoque magis Deum

nihil frustra facere: ire via breuissima: quod per minora fieri et pauciora possit, non facere per maxima et plurima: aut illam (quam acumen Francogallicum, lepide scilicet, *legem parsimoniae*, *la loi d'Epargne* appellauit) naturae corporeae legem de minimo: de quo minimo maxima nuper nata erat controuersia. Nam ea oracula omnia pertinent ad res corporeas, et regni naturalis dispensationem, quoad rebus constat intelligentia carentibus, non autem ad regnum Dei in genus humanum, vel naturale illud ac sensibile, vel inuisibile, quod est per Christum institutum. In regno quidem naturali et adspectabili, Deum non necessitati modo hominum consuluisse, aut ullam *parsimoniae legem* secutum esse, sed copiis etiam nostris, ac deliciis prospexisse scimus, estque a nobis parte prima paucis demonstratum. Quo loco etiam docuimus, illas angustias, quae excludant, quicquid necessarium non sit, quae certam in vnoquoque genere, eamque valde modicam mensuram definiant, legemque constituent, plane abhorreere ab intelligentium et liberarum naturarum indole, easque ipsum sensum communem repudiare. Quo minus absunt ab impietate aduersus Dei maiestatem, qui eius arbitrium etiam in religione, et modo salutis humanae reparandae, suis ratiunculis in ordinem redigere, et Deo demonstrare audent, quid per suae hominum sapientiae leges probare, quid sequi debuerit, vbi plus minusue facere, vbi hoc non aliud, cur denique quidlibet deligere ac probare, si bonitatem ac sapientiam retinere voluerit. Nos vero credamus, Deum in omnibus rebus, quae etiam salutis nostrae causa ac religionis nomine decreuit, constituit, sanxit, summam sapientiam et benignitatem demonstrasse, sed eundem in iis omnibus digno maiestate sua arbitrio esse usum, tantoque magis esse amandum ac praedicandum, quo magis cum salute et vtilitate nostra eo arbitrio vsus sit: quod tertia disputationis nostrae parte demonstrabimus.


01 A 6712

vd 18

ULB Halle
003 685 772

3







VINDICIARVM 3260
ARBITRII DIVINI

IN
RELIGIONE CONSTITVENDA g

PARS ALTERA

DISPV TATIO THEOLOGICA

IN ACADEMIA LIPSIENSI

A. D. XXI. OCTOBR. A. C. CIDI CCCLVI

PRO GRADV DOCTORIS

PROPOSITA

A

IO. AVGVSTO ERNESTI

S. THEOL. LICENTIATO ET FACVLTATIS

PHILOS. DECANO ETC.

LIP S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.